

In solennitatem honorum
magnificorum maximè
reverendi ac amplisissimi
domini ...

Limatius, Nicolaus,

1 Ic 1692 Jernfeld, Crispinus Olai



National Library
of Sweden

In
SOLENNITATEM
Honorum
MAGNIFICORUM

*Maximè Reverendi ac Amplissimi
Domini*


Dn: CRISPINI

THOMAS / + 1696

S. S. Theol: Licentiati, ejusdemquè
in Regia Dorpatensi Academiâ Professoris
celeberrimi,

*Cum ipsi 21. Junii Ao. 1692. Amplissimi
Senatus Academici suffragio Insignia Lycei
offerrentur*

GRATULATIO
VOTIVA.



DORPATI,
Excudit Johannes Brendeken,
Acad. Typograph.





Maximi divūm veneranda proles
Quæ tenes celsi juga sacra Pindi;
Linque consuetos apicesq; nobis
Non adeundos.

Gloriam festi, cata quam reposcit
Nominis vestri sibi vis, solennem,
Ut queam ductu celebrare vestro

Præsidiq;.

Nil mei possunt etenimq; honores,
Pondus addatis nisi vos eisdem,
Gratiam verbis, veneresq; justas,

Suppeditetis.

Non Eleusina sacra sat silenda,
Nec Thoantæa, Cybelesve ludi,
Lesbio plectro fidibusq; tensis

Condecorari

Expetunt: vestris cupiunt honores
Candidè imponi Charites at aris.
Luce solenni meritoq; vobis

jure dicato.
Scilicet



Scilicet quintum vice fat benignâ
Ista lux passu rediit citato
Quæ triumphatrix simul estq; vindex
Rite bonorum.

Culmen adest regni Aonii videmus
Purpurâ splendens meritoq; honore,
Cui data fasces celebrisq; nostri
Sceptra Lycei.

Ergo gratetur Claræ iuventa
Pompa, qui Musis dociles & annos
Destinant, votis onerare mecum
Æthera pergant:

O Decus nostrum, gravitas verendi
Corporis, doctæ cui sophos est &
Mentis & dives penus omnis anti-
Quæ pietatis,

Tè regat summum, statione in istâ,
Numen, ut grandis tibi functione
Muneris membrum melius fiet, nec
Claudicet unquam.

Ita devotum prolixumq; animum
festinanti crenâ contestatur

Nicolaus Limatius
O. B.

Plaudite Pierides, quod stent sua præmia musis,
Orbe etenim proprio lætus Apollo viget.

Hæc Livoniacas felici fidere terras,

Ad spexit cælum, quod bene cedat opus!

In quibus ut notum, jam res collapsa resurgit,

Dum studiis claros sedibus hæc locat.

Laudibus hi dignis meritoq; diuq; fruuntur,

Hic partem capiat laudis & ille suam.

O felix terra hæc, tua si jam commoda nosces

Fortunam & posses ferre patiq; tuam.

Nomina clara virum nostra hæc Academia adorat,

His magnum dabitur, semper in Orbe decus.

Dumq; alios radios nostrum sol mittit in orbem,

Incipis O *Jernfeld* / munus adire novum.

Et veluti in cælo stant quælibet ordine signa,

Atq; suas partes quæq; subire solent.

Omnia ceu Regem solem venerantur ut astra,

Respicit usq; suum quisq; planeta ducem.

Sic studiosa Cohors & gens Academica phæbi,

Rectoris sequitur mitia jussa sui.

Discite Pierides vestro submittere colla,

Rectori grandi discite Pierides.

Quot segetis picæ, quot sunt & in arbore frondes,

Tot tibi nunquam non omina fausta precor.

Clarum surge jubar, Musarum surge Patrone,

J comitante Deo, perpetuumq; vale.

*Fausi omnis & officii declarandi
ergo deproperabam*

Ericus Albohm
Nylandus.